# PASSI DI CICERONE

SCELTI E TRADOTTI DA

GANDINO

PER ESERCIZI DI RETROVERSIONE

RACCOLTI DALLE OPERE PER CURA

DI

M. POLENGHI

Volume II. — FILOSOFIA, LETTERATURA ED ARTE



G. B. PARAVIA & C.

TORINO-MILANO-FIRENZE-ROMA-NAPOLI-PALERMO

PROPRIETÀ LETTERARIA

Torino — G. B. Paravia & C.
357 (*B*) IV - 1926. 11710

# AVVERTENZA

*Il presente volume è pubblicato per comodo dei Signori Insegnanti e per uso esclusivo di essi.*

*Abbiamo stimato opportuno pubblicarlo per più ragioni.*

*Abbiamo anzitutto pensato che i professori non hanno sempre il tempo, nè sempre sotto mano le voluminose opere di Cicerone, per fare da sè, pur colla guida dell'indice che finora offrivamo loro, la retroversione dei temi che il Gandino ha raccolto nei suoi volumi della « Sintassi Latina ».*

*Questa considerazione ci ha spinto a offrire ad essi tradotti i temi, per alleggerire l'opera loro.*

*Pensiamo inoltre che il lavoro può presentare un altro vantaggio. Gli Insegnanti, avendo sotto gli occhi il testo di Cicerone e la versione del Gandino, troveranno in quest'ultima un modello insigne di traduzione.*

*L'Insegnante che si è sobbarcato alla fatica, non lieve, nè facile se non in apparenza, di compilare questa raccolta, nei pochi casi in cui il Gandino modifica alquanto il passo*

*di Cicerone, ha preferito dare il testo originale: al professore sarà facile, coll'aiuto delle note stesse del Gandino, tradurre letteralmente le poche discordanze.*

*Delle poche e brevi frasi di raccordo, mediante le quali il Gandino ha collegato disparati passi di Cicerone, il compilatore ha proposto una sua versione per la quale si è attenuto all'uso ciceroniano.*

*Ad ogni modo chi volesse rifare da sè il lavoro troverà qui appresso l'indice delle opere di Cicerone dalle quali il Gandino trasse i temi della «Sintassi Latina».*

# INDICE

DEI LUOGHI

# DELLE OPERE DI CICERONE

DA CUI SONO TRATTI

## i Temi della Sintassi latina

DI

G. B. GANDINO

---

### Volume II. — Filosofia, letteratura ed arte.


CXXIII ... *Dio.* — Tusc. I. 28, 70; De nat. deor. II. 2, 4; Ib. II. 5, 15; Ib. II. 38, 96; Ib. II. 6, 16.

CXXIV .... *È innata nelle menti umane l'idea della divinità.* — Tusc. I. 13, 30; De nat. deor. II. 2, 5.

CXXV ..... *Del sentimento religioso.* — De leg. II. 7, 15.

CXXVI .... *L'uomo.* — De fin. V. 12, 34.

XXVII .... *Essenza dell'anima umana.* — Tusc. I. 27, 66.

CXXVIII .. *L'anima umana è immortale.* — De senect. 22, 80; Ib. 23, 82; Ib. 22, 80; Ib. 23, 82; Ib. 23, 86.

CXXIX ... *Eccellenza della natura umana.* — De offic. I. 4, 11.

CXXX .... *È naturale all'uomo l'operosità.* — De fin. V. 20, 55.

CXXXI ... *Della virtù.* — Tusc. IV. 15, 34; De orat. II. 84, 346; De leg. I 19, 52; Tusc. V. 1, 4; De amic. 8, 25.

CXXXII ... *È naturale all'uomo il sentimento della virtù.* — De fin. V. 22 63.

CXXXIII .. *La virtù può da sè sola far felice l'uomo.* — Tusc. V. 6, 15.

CXXXIV .. *L'uom virtuoso non può esser infelice.* — Parad. II. 16.

CXXXV .... *Il malvagio non può esser felice.* — De fin. I. 16, 50.
CXXXVI .. *Quando è che la virtù desta l'universale ammirazione.* — De offic. II. 10, 36.
CXXXVII.. *Della giustizia.* — De offic. III. 6, 28; Ib. I. 7, 20; Ib. I. 7, 21 e 23; Ib. II. 11, 40.
CXXXVIII. *Non è lecito recar danno ad altri per nostro vantaggio.* — De offic. III. 5, 21.
CXXXIX .. *Non si deve commettere il male, nè anche quando potesse rimaner nascosto a tutti.* — De offic. III. 9, 37 e 38.
CXL ..... *Della fortezza.* — De offic. I. 20, 66.
CXLI ..... *La fortezza d'animo è il principal mezzo per vincere il dolore.* — Tusc. II. 23, 54.
CXLII..... *Nella prosperità bisogna evitar l'orgoglio e mantenere un carattere uguale.* — De offic. I. 26, 90.
CXLIII.... *La natura si contenta del poco.* — Tusc. V. 34, 97.
CXLIV .... *I piaceri corporali non possono essere il bene supremo dell'uomo.* — De fin. II. 34, 111.
CXLV ..... *I piaceri sensuali sono indegni dell'uomo.* — De offic. I. 30, 105.
CXLVI .... *Della beneficenza.* — De offic. I. 14, 42; Ib. I. 15, 49.
CXLVII.... *Due specie di beneficenza.* — De offic. II. 15, 52.
CXLVIII... *Della gratitudine.* — Pro Planc. 33, 80.
CXLIX .... *Dell'amor della gloria.* — Pro Arch. 11, 28.
CL ..... *Della scelta della professione.* — De offic. I. 32, 117.
CLI ..... *Doveri dei giovani e dei vecchi.* — De offic. I. 34, 122.
CLII ..... *Del decoro.* — De offic. I. 35, 128 e seg.
CLIII ..... *Regole del conversare.* — De offic. I. 37, 134.
CLIV ..... *Dei divertimenti e degli scherzi.* — De offic. I. 29, 103.
CLV ..... *Origine della società umana.* — De invent. I. 2, 2.
CLVI ..... *Diversi gradi della società umana.* — De offic. I. 17, 53.
CLVII ..... *Della patria.* — Catil. I. 7, 17; De offic. I. 17, 57; Ad fam. X. 5.
CLVIII .... *Delle leggi.* — Phil. XI. 12, 28; De leg. II. 5, 11; Pro Cluent. 53, 146.
CLIX ..... *Dell'autorità politica.* — De leg. III. 1, 2.
CLX ..... *Doveri dei governanti.* — De offic. I. 25, 85.
CLXI ..... *Tristi effetti dell'anarchia.* — De republ. I. 43, 66.
CLXII..... *È naturale all'uomo l'amor del sapere.* — De fin. V. 18, 48.
CLXIII.... *Del diletto che si trae dallo studio delle lettere e delle scienze.* — De fin. V. 19, 50.
CLXIV .... *Elogio della filosofia.* — De offic. II. 2, 5; Tusc. V. 2, 5.
CLXV ..... *Della naturale corrispondenza che è tra l'utile e il bello.* — De orat. III. 45, 179; Ib. III. 45, 178.

CLXVI .... *Della bellezza ideale.* — Orat. 3, 8.
CLXVII.... *In opera di letteratura e d'arte è già un merito avvicinarsi alla perfezione.* — Orat. 1, 4.
CLXVIII... *Del decoro nelle lettere, nelle arti e specialmente nell'arte del dire.* — Orat. 21, 70.
CLXIX .... *Della materia del ridicolo.* — De orat. II. 58, 236.
CLXX..... *Della varietà nell'arte e nella letteratura.* — De orat. III. 7, 25.
CLXXI .... *Del linguaggio proprio e del linguaggio figurato.* — De orat. III. 37, 149 e seg.; Ib. III. 38, 155.
CLXXII ... *Della metafora.* — De orat. III. 39, 157.
CLXXIII .. *Dell'allegoria, della metonimia e della sineddoche.* — De orat. III, 42, 166 e seg.
CLXXIV .. *Dell'armonia del discorso.* — De orat. III. 44, 173.
CLXXV.... *Elogio dell'eloquenza.* — De orat. I. 8, 30 e seg.
CLXXVI .. *Perchè sia così scarso il numero dei grandi oratori.* — De orat. I. 2, 8.
CLXXVII . *L'oratore deve sentire egli prima quel che vuol far sentire agli altri.* — De orat. II. 45, 189.
CLXXVIII. *Come il gusto del pubblico sia quello che forma l'oratore.* — Orat. 8, 24.
CLXXIX... *In fatto d'eloquenza raro è che il giudizio del popolo differisca da quello delle persone culte.* — Brut. 49, 184.
CLXXX ... *L'eloquenza non deve andar disgiunta dalla filosofia.* — Orat. 4, 14.
CLXXXI... *Come lo stile filosofico differisca dallo stile oratorio.* — Orat. 19, 62.
CLXXXII .. *L'eloquenza e la dialettica.* — Orat. 32, 113.
CLXXXIII *Quanto giovi all'oratore l'esercizio dello scrivere.* — De orat. I. 33, 150.
CLXXXIV . *Della storia.* — Orat. 34, 120; De orat. II. 9, 36; Ib. II. 15, 62.
CLXXXV .. *Della musica.* — De leg. II. 15, 38.

## CXXIII.

Deum non videmus, tamen adgnoscimus ex operibus eius. Nihil enim potest esse tam apertum tamque perspicuum, cum caelum suspeximus caelestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen praestantissimae mentis quo haec regantur. Quod qui dubitet, haud sane intellego cur non idem sol sit an nullus sit dubitare possit; hoc enim est illo nihilo evidentius. Ut si quis in domum aliquam aut in gymnasium aut in forum venerit, cum videat omnium rerum rationem, modum, disciplinam, non posse ea sine causa fieri iudicet, sed esse aliquem intellegat, qui praesit et cui pareatur; multo magis in tantis motionibus tantisque vicissitudinibus, tam multarum rerum atque tantarum ordinibus, in quibus nihil umquam immensa et infinita vetustas mentita sit, statuat necesse est ab aliqua mente tantos naturae motus gubernari. Sed adsiduitate cotidiana et consuetudine oculorum adsuescunt animi neque admirantur neque requirunt rationes earum rerum quas semper vident; proinde quasi novitas nos magis quam magnitudo rerum debeat ad exquirendas causas excitare.

Atque illud fatendum est tantam varietatem pulchritudinemque rerum caelestium, tantam vim et magnitudinem maris atque terrarum aliqua mente confectam esse et ea quidem humana acriore. Si enim, ait quidam antiquus philosophus, est aliquid in rerum natura, quod hominis mens, quod ratio, quod vis, quod potestas humana ecficere non possit, est certe id, quod illud ecficit, homine melius. Atqui res caelestes omnesque eae, quarum est ordo sempiternus, ab homine confici non possunt. Est igitur id, a quo illa conficiuntur, homine melius. Id autem quid potest esse quam deus?

## CXXIV.

Firmissimum argumentum est cur Deum esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit inmanis, cuius mentem non imbuerit deorum opinio. Multi de dîs prava sentiunt, omnes tamen esse vim et naturam divinam arbitrantur, nec vero id conlocutio hominum aut consessus ecficit, non institutis opinio est confirmata, non legibus; hac autem in re ut in aliis consensio omnium gentium lex naturae putanda est. Quod nisi cognitum comprehensumque haberemus, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum saeclis aetatibusque hominum inveterari potuisset. Etenim videmus ceteras opiniones fictas atque vanas diuturnitate extabuisse. Quis enim Hippocentaurum fuisse aut Chimaeram hodie putat? vel Cerberum aut illa quae quondam credebantur apud inferos portenta extimescit? Opinionis enim commenta delet dies, naturae iudicia confirmat.

## CXXV.

Sit hoc iam a principio persuasum omnibus dominum esse ac moderatorem omnium rerum Deum, eaque quae gerantur eius geri iudicio ac numine, eumdemque optime de genere hominum mereri, et qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate colat religiones, intueri, piorumque et impiorum habere rationem. His enim rebus imbutae mentes haud sane abhorrebunt ab utili aut a vera sententia. Quid est enim verius quam neminem esse oportere tam stulte adrogantem ut in se rationem et mentem putet inesse, in caelo mundoque non putet? aut ut ea quae vix summa ingenii ratione comprehendat, nulla ratione moveri putet? Quem vero astrorum ordines, quem dierum noctiumque vicissitudines, quem mensum temperatio, quemque ea quae gignuntur nobis ad fruendum, non gratum esse cogunt, hunc hominem omnino numerari non decet. Utilem esse autem hanc opinionem quis neget, cum intellegat quam multa firmentur iure iurando, quantae saluti sint foederum religiones, quam multos divini subplicii metus a scelere revocarit, quamque sancta sit societas civium inter ipsos, Deo inmortali interposito tum iudice tum teste?

## CXXVI.

Homo e corpore animoque constat, cum primae sint animi partes, secundae corporis. Corporis autem tota figura et forma et statura, quam apta ad naturam sit adparet; itemque singulae corporis partes, frons, oculi, aures, quam propriae sint hominis intellegitur. Sed ea valere et vigere

nihilque in iis aegrum debilitatumve esse, natura desiderat; est etiam actio quaedam corporis, quae motus et status naturae congruentes tenet; ut cum distortiones et depravationes quasdam videmus, ut si aut manibus ingrediatur quis aut non ante sed retro, odisse plane se ipse et humanitatem exuere videatur. Quam ob rem etiam sessiones quaedam et flexi fracti motus, quales protervorum hominum aut mollium esse solent, contra naturam sunt; et etiamsi animi vitio id evenial, tamen in corpora immutari hominis natura videtur e contrario moderati aequabilesque habitus aptiores eam ad naturam videntur. Iam vero animus omnes partes suas habent incolumes, et de virtutibus nulla desit. Quae plures sunt, sed duo primum genera unum earum, quae ingenerantur sumpte natura adpellanturque non voluntariae; alterum earum, quae, in voluntate positae, magis proprio nomine virtutes adpellari solent, cum sit in iis excellens animorum posita praestantia. Prioris generis est docilitas, memoria et similia, quae omnia adpellantur uno ingenii nomine, eaque virtutes qui habent, ingeniosi vocantur. Alterum autem genus est magnarum verarumque virtutum, quae a voluntate procedunt, ut prudentia, temperantia, fortitudo, iustitia et reliquae eiusdem generis.

## CXXVII.

Animorum nulla in terris origo inveniri potest; nihil est enim in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum atque fictum esse videatur, nihil ne aut umidum quidem aut flabile aut igneum. His enim in naturis nihil inest, quod vim memoriae, mentis, cogitationis habeat; quod et praeterita teneat et futura provideat et complecti possit praesentia, quae sola divina sunt; nec

invenietur umquam unde ad hominem venire possit nisi a Deo. Singularis est igitur quaedam natura atque vis animi, seiuncta ab his usitatis notisque naturis. Ita quidquid est illud quod sentit, quod sapit, quod vivit, quod viget, caeleste et divinum ob eamque rem aeternum sit necesse est. Nec vero Deus ipse alio modo intellegi potest nisi mens soluta quaedam et libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens et movens, ipsaque praedita motu sempiterno.

## XXVIII.

Mihi quidem numquam persuaderi potuit, animos, dum in corporibus essent mortalibus, vivere; cum exissent ex iis, emori: nec vero tum animum esse insipientem, cum ex insipienti corpore evasisset; sed contra habeo persuasum, hominem, cum excessisset e vita, tum denique victurum esse, animumque, cum omni admistione corporis liberatus purus et integer esse coepisset, tum esse sapientem. Cum enim hominis mortuus morte dissolvitur, coterarum rerum perspicuum est quo quaeque discedant; abeunt enim illuc omnia, unde orta sunt: animus autem solus nec cum adest, nec cum discedit, adparet. Quod ni ita se haberet, ut animi inmortales essent, qui fieret ut optimi cuiusque animus maxime ad inmortalitatis gloriam niteretur? Quid, quod sapientissimus quisque aequissimo animo moritur, stultissimus iniquissimo? Nonne nobis videtur animus is, qui plus cernat et longius, videre se ad meliora proficisci; illo autem, cui obtusior sit acies, non videre? Quod si in hoc erro, quod animos hominum inmortales esse credam, lubenter erro; nec mihi hunc errorem, quo delector, dum vivo, extorqueri volo.

## CXXIX

Generi animantium omni est a natura tributum ut se, vitam corpusque tueatur, declinet ea quae nocitura videantur, omniaque quae sint ad vivendum necessaria, acquirat et paret, ut pastum, ut latibula, ut alia generis eiusdem. Sed inter hominem et beluam hoc maxime interest, quod haec tantum quantum sensu movetur, ad id solum quod adest quodque praesens est, se adconmodat, paulum admodum sentiens praeteritum aut futurum; homo autem, quod rationis est particeps, causas rerum videt, consequentia cernit, similitudines comparat, rebusque praesentibus adiungit atque adnectit futuras, facile totius vitae cursum videt, ad eamque degendam praeparat res necessarias. Eademque natura vi rationis hominem conciliat homini et ad orationis et ad vitae societatem, impellitque ut studeat parare ea quae subpeditent ad cultum et ad victum, nec sibi soli, sed coniugi, liberis ceterisque quos caros habeat tuerique debeat: quae cura exsuscitat etiam animos et maiores ad rem gerendam facit. In primisque hominis est propria veri inquisitio atque investigatio. Itaque cum sumus necessariis negotiis curisque vacui, tum avemus aliquid videre, audire, addiscere, cognitionemque rerum aut obcultarum aut admirabilium ad beate vivendum necessariam ducimus. Huic veri videndi cupiditati adiunota est adpetitio quaedam principatus, ut homini parere animus bene informatus a natura velit, nisi praecipienti aut docenti aut utilitatis causa iusto et legitimo imperanti; ex qua magnitudo animi exsistit humanarumque rerum contemptio. Nec vero illa parva vis naturae est rationisque, quod unum hoc animal sentit quid sit ordo, quid sit quod

deceat, eorumque ipsorum quae adspectu sentiuntur pulchritudinem, venustatem, convenientiam partium; multo etiam magis pulchritudinem, constantiam, ordinem in consiliis factisque conservandam putat, cavetque ne quid indecore ecfeminateve aut faciat aut cogitet.

## CXXX.

In omni animali, sed maxime in homine, plane perspicua sunt nec dubitanda naturae indicia, ut adpetat animus aliquid agere semper, neque ulla conditione quietem sempiternam possit pati. Facile est hoc cernere in primis puerorum aetatulis. Videmus igitur ut conquiescere ne infantes quidem possint; cum vero paullum processerint, lusionibus vel laboriosis delectantur, ut ne verberibus quidem deterreri possint. Eaque cupiditas agendi aliquid adolescit una cum aetatibus. Itaque, ne ei iucundissimis quidem nos somniis usuros putemus, Endymionis somnum nobis velimus dari; idque si accidat, mortis instar putemus. Videmusne ut etiam inertissimi atque ignavissimi homines, et corpore et animo moveantur semper, et cum re nulla impediantur necessaria, aut quaerant quempiam ludum aut sermonem aliquem requirant; cumque non habeant ingenuas ex doctrina delectationes, circulos aliquos et sessiunculas consectentur? Nec vero quisquam est, cuius animus bene sit a natura informatus et doctrina liberaliter institutus, qui esse omnino in vita nolit, si gerendis negotiis orbatus, possit paratissimis vesci voluptatibus. Itaque alii privatim aliquid gerunt, alii, qui altiore animo sunt, capessunt rem publicam honoribus imperiisque adipiscendis, alii demum totos se ad studia doctrinae conferunt.

Qua in vita, tantum abest ut voluptates consectentur, etiam curas, vigilias, sollicitudines perferunt, optimaque parte sui, quae divina ducenda est, ingenii et mentis acie, fruuntur.

## CXXXI.

Virtus est adfectio animi constans, ex qua proficiscuntur honestae ac rectae rationi consentaneae voluntates, sententiae, actiones; ipsaque virtus recta ratio dici potest. Huius igitur virtutis contraria est vitiositas, ex qua concitantur perturbationes, aversae a ratione et inimicissimae vitae tranquillae. Virtus laudabiles efficit eos in quibus est, et ipsa per se laudabilis est, separata etiam utilitate; atque ea virtus est praestantis viri, quae est fructuosa aliis, ipsi aut laboriosa aut periculosa aut certe gratuita. Virtute nihil est homini praetiosius, nec quidquam est ei anteponendum, non pecunia, non honores, non forma, non valetudo, quae et cum adsunt perparva sunt, et quam diu adfutura sint, sciri nullo modo potest, quam minime vero voluptas, in qua spernenda virtus vel maxime cernitur. Ea humana omnia subter se habet, culpaque omni carens, praeter se ipsam nihil censet ad se pertinere. Nihil est amabilius virtute, nihil quod magis adliciat ad diligendum: quippe cum propter virtutem et probitatem eos etiam quos numquam viderunt homines admirantur ac diligunt.

## CXXXII.

Quis est tam dissimilis homini, qui non moveatur et obfensione turpitudinis et comprobatione honestatis? quis est qui non oderit libidinosam et protervam adolescentiam?

quotiens non moveantur in audiendo, in legendo pie, amice, magno animo aliquid factum? quis nostrum Codrum, Athenarum salutem, non est admiratus? quis Aristidem, omnium iustissimum, non diligit? Nec vero sunt haec propria hominum excultorum, sed communia vulgi. Qui clamores vulgi, cum in Oreste fabula: Ego sum Orestes, Pilades ait; contraque alter: Immo enimvero ego sum Orestes. Nemo est igitur, qui non hanc adfectionem animi probet atque laudet, qua illi non modo nulla utilitatem quaerunt, sed contra utilitatem etiam fidem conservant. Talibus exemplis non fictae solum fabulae, verum etiam historiae referrae sunt, et quidem maxime romanae. Romani enim ad sacra Idaea adcipienda optimum virum delegerunt; romani imperatores pro salute patriae sua capita voverunt; romani consules regem inimicissimum, moenibus iam adpropiquantem monuerunt, a veneno ut caveret, quod quidam ex familiaribus ei paraverat. Quae quidem omnia et innumerabilia praeterea, quis est qui non intellegat et eos qui fecerint, virtutis amore non aliqua utilitate ductos fecisse, nosque, cum ea laudemus, nulla alia re, nisi honestate duci?

## CXXXIII.

Motus turbulenti iactationesque animorum rationem omnem repellentes vitae beatae nullam partem relinquunt. Quis enim potest mortem aut dolorem metuens, quorum alterum saepe adest, alterum semper impendet, esse non miser? Quid si idem non modo futura timet, verum etiam fert sustinetque praesentia, ut exsilium, orbitatem? Qui rebus his fractus aegritudine eliditur, potest tamdem esse non miserrimus? Quid? elati illi levitate inanique laetitia exsultantes et temere gestientes nonne tanto miseriores quanto sibi videntur beatiores? Ergo ut hi miseri, sic

contra illi beati, quos nulli metus terrent, nullae aegritudines exedunt, nullae futiles laetitiae languidis liquefaciunt voluptatibus. Ut maris igitur tranquillitas intellegitur nulla ne minima quidem aura fluctus conmovente, sic animi quietus et placatus status cernitur, cum perturbatio nulla est qua moveri queat. Quod si est qui vim fortunae, qui omnia humana, quaecumque adcidere possunt, tolerabilia ducat, ex quo nec timor eum nec angor adtingat, idemque, si nihil concupiscat, nulla ecferatur animi inani voluptate, quid est cur is non beatus sit? et si haec virtute ecficiuntur, quid est cur virtus ipsa per se non ecficiat beatos?

## CXXXIV.

Multi nomen virtutis usurpant, quid ipsa valeat, ignorant. Nemo potest non beatissimus esse, qui est totus aptus ex sese, quique in se uno sua ponit omnia. Cui spes omnis et ratio et cogitatio pendet ex fortuna, huic nihil potest esse certi, nihil quod exploratum habeat permansurum sibi unum diem. Eum tu hominem terrebis mortis aut exsilii minis; virtute praeditum non terrebis. Mors enim terribilis est iis, quorum cum vita omnia extinguuntur, non iis, quorum laus emori non potest; exsilium autem iis, quibus quasi circumscriptus est habitandi locus, non iis, qui omnem orbem terrarum unam urbem esse ducunt. Improbus homo, etiam tum cum se beatum, cum florentem putat, non est, quem dies noctesque suae libidines torquent, suorum maleficiorum conscientiae stimulant, metus exanimat iudiciorum atque legum; cui nec satis est, quod est, et id ipsum, ne non sit diuturnum timet. Quam ob rem bonus vir, qui haec omnia non timet, miser esse non potest.

## CXXXV.

Iniustitia, cuius in mente consedit, numquam desit eum agitare ac perturbare; si vero quidpiam in se admisit, quamvis obculte fecerit, numquam tamen id confidit fore semper obcultum. Plerumque enim improborum facta primo suspicio insequitur, deinde sermo atque fama, tum adcusator, tum iudex; multi etiam ipsi se indicaverunt. Quod si qui satis sibi contra hominum conscientiam septi esse et muniti videntur, Dei tamen horrent, easque ipsas sollicitudines, quibus eorum animi noctes atque dies exeduntur, a Deo inmortali suplicii causa importari putant. Quae autem tanta ex improbis factis commodi aut voluptatis adcessio fieri potest, quam non longe superent incommoda molestieque, quae tum conscientia factorum tum poena legum odiumque civium adfert?

## CXXXVI.

Admirantur communiter homines omnia quae magna et praeter opinionem sunt, separatim autem in singulis ea perspiciunt recopinata quaedam bona. Itaque eos viros suspiciunt maximisque ecferunt laudibus, in quibus existimant se excellentes quasdam et singulares perspicere virtutes, despiciunt autem eos et contemnunt, in quibus nihil virtutis, nihil animi, nihil nervorum putant. Admiratione autem adficiunt eos qui cum omni carere de decore, tum vero iis vitiis, quibus alii non facile possunt obsistere. Nam et voluptates, blandissimae dominae, maioris partis animos

saepe a virtute detorquent; et dolorum cum admoventur faces, praeter modum plerique exterrentur. Quotus enim quisque est quem vita mors, divitiae paupertas vehementissime non permoveant? Cum igitur excelsum animum videmus et magnum, qui nec curat nec timet ea quibus ceteri commoventur, totumque se ad amplas et honestas res, quae sunt ei obiectae, convertit et rapit, quis non admiretur splendorem pulchritudinemque virtutis?

## CXXXVII.

Iustitia omnium est domina et regina virtutum, humanaeque societatis fundamentum. Cuius primum munus est ut ne cui quis noceat; deinde ut communibus pro communibus utetur, privatis ut suis. Sunt autem privata nulla natura, sed privata fiunt aut vetere occupatione aut iure belli aut lege, pactione, condicione. Ex quo, quia suum cuiusque fit eorum quae natura fuerant communia, quod cuique contigit, id quisque teneat; e quo si quis sibi adpetet, violabit ius humanae societatis. Fundamentum autem iustitiae est fides, idest dictorum conventorumque constantia et veritas. Nulla vero est ratio atque institutio vitae quae iustitia carere possit, cuius tanta vis est, ut ne illi quidem qui maleficio et scelere pascuntur, possint sine ulla particula iustitiae vivere. Nam qui eorum cuipiam qui una latrocinantur, furatur aliquid aut abripit, is sibi ne in latrocinio quidem relinquit locum; ille autem qui archipirata dicitur, nisi aequabiliter praedam dispertiat, aut interficiatur a sociis aut relinquatur. Quin etiam leges latronum esse dicuntur, quibus pareant, quas observent.

## CXXXVIII.

Detrahere alteri quod suum est et hominem homini incommodo suum commodum augere, tollit convictum humanum et societatem. Ut enim si unum quodque membrum sensum hunc haberet, ut posse putaret se valere, si proximi membri valetudinem ad se traduxisset, debilitari et interire totum corpus necesse esset; sic, si unus quisque nostrum ad se rapiat commoda aliorum detrahatque quod cuique possit, emolumenti sui gratia, societas hominum et communitas evertatur necesse est. Nam sibi, ut quisque malit, quod ad usum vitae pertineat quam alteri adquirere, concessum est, non repugnante natura; illud natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates, copias, opes augeamus. Neque vero hoc solum natura, sed etiam legibus populorum constitutum est, ut non liceat sui commodi causa, nocere alteri: hoc enim spectant leges, hoc volunt, incolumem esse civium coniunctionem; quam qui dirimunt, eos morte, exsilio, vinclis, damno coërcent.

## CXXXIX.

Nihil avare, nihil iniuste, nihil libidinose, nihil incontinenter est faciendum, si omnes deos hominesque celare possimus. Hinc ille Gyges, Candaulis, Lydiorum regis pastor, inducitur a Platone, qui cum terra discessisset magnis quibusdam imbribus, descendit in illum hiatum aeneumque equum, ut ferunt fabulae, animadvertit, cuius in lateribus fores essent: quibus apertis, corpus hominis mortui vidit magnitudine inusitata anulumque aureum in digito; quem ut detraxit, ipse induit, tum in concilium se pastorum recepit. Ibi cum palam eius anuli ad palmam

converterat, a nullo videbatur, ipse autem omnia videbat; idem rursus videbatur, cum in locum anulum inverterat. Itaque hac opportunitate anuli usus, regem dominum interemit, sustulit quos obstare arbitrabatur, nec in his eum facinoribus quisquam potuit videre. Sic repente anuli beneficio rex exortus est Lydiae. Hunc igitur ipsum anulum si habeat sapiens, nihilo plus sibi licere putet peccare, quam si non haberet: honesta enim bonis viris, non occulta quaeruntur.

## CXL.

Fortis animus et magnus duabus rebus maxime cernitur, quarum una in rerum externarum despicientia ponitur, altera in gerendis rebus magnis et maxime utilibus, iisdemque arduis et periculorum plenis. Harum rerum duarum splendor omnis, amplitudo, addo etiam utilitatem, in posteriore est; causa autem et ratio efficiens magnos viros in priore; in eo enim est illud, quod excellentes animos et humana contemnentes facit. Fortis enim animi est et magni, quae eximia plerisque et praeclara videntur, parva ducere eaque ratione stabili firmaque contemnere; et ea, quae videntur acerba, quae multa et varia in hominum vita fortunaque versantur, ita ferre ut nihil a statu naturae discedas, nihil a dignitate quae sapientis est propria. Non est autem consentaneum, qui metu non frangatur, eum frangi cupiditate, nec qui invictum se a labore praestiterit, vinci a voluptate. Quam ob rem et haec vitanda et pecuniae fugienda cupiditas; nihil est enim tam angusti animi tamque parvi quam amare divitias, nihil honestius magnificentiusque quam pecuniam contemnere, si non habeas, si habeas, ad beneficentiam liberalitatemque conferre.

## CXLI.

Ut fit in proelio, ut ignavus miles ac timidus, simul ac viderit hostem, abiecto scuto fugiat quantum possit, ob eamque causam pereat nonnumquam etiam integro corpore, cum ei qui steterit, nihil tale evenerit; sic qui doloris speciem ferre non possunt, abiciunt se atque ita adflicti et exanimati iacent; qui autem restiterunt, discedunt saepissime superiores. Sunt enim quaedam animi similitudines cum corpore. Ut onera contentis corporibus facilius feruntur, remissis obprimunt, simillime animus intentione sua depellit pressuram omnem ponderum, remissione autem sic urguetur, ut se nequeat extollere. Sed hoc idem in dolore maxime est providendum, ne quid abiecte muliebriterve faciamus; ingemiscere nonnumquam viro concessum est, idque raro; eiulatus ne mulieri quidem.

## CXLII.

In rebus prosperis et ad voluntatem nostram fluentibus superbiam magnopere, fastidium adrogantiamque fugiamus. Nam ut adversas res sic secundas inmoderate ferre levitatis est, praeclaraque est aequabilitas in omni vita et idem semper vultus eademque frons. Atque etiam in secundissimis rebus, maxime est utendum consilio amicorum, iisque maior etiam quam ante tribuenda auctoritas. Maxime autem cavendum est ne nos adsentatores adulentur neve fallant; tales enim nos esse facillime putamus, ut iure laudemur, et inflati opinionibus in maximis versamur erroribus turpiterque inridemur.

## CXLIII.

Parvo cultu natura contenta est. Etenim quis hoc non videt esurienti omnia condiri? Darius Codomanus, cum, ab Alexandro profligatus, in fuga aquam turbidam et cadaveribus inquinatam bibisset, negavit umquam se bibisse iucundius; numquam videlicet sitiens biberat. Nec esuriens Ptolemaeus ederat, cui cum peragranti Aegyptum, comitibus non consecutis, cibarius in casa panis datus esset, nihil visum est illo pane iucundius. Socratem quoque ferunt, cum ad vesperum contentius ambularet quaesitamque esset ex eo qua re id faceret, respondisse se, quo melius coenaret, opsonare ambulando famem. Quam tenuis fuerit victus Lacedaemoniorum in philitiis videmus. Ubi cum tyrannus coenavisset Dionysius, negavit se iure illo nigro, quod cenae caput erat, delectatum. Tum is qui illa coxerat: « Minime mirum; condimenta enim defuerant — Quae tandem? inquit ille — Labor in venatu, sudor, cursus ad Eurotam, fames, sitis: his enim rebus Lacedaemoniorum epulae condiuntur ».

## CXLIV.

Si in voluptate sunt omnia, longe multumque superamur a bestiis, quibus ipsa terra fundit ex sese pastus varios atque abundantes nihil laborantibus; nobis autem aut vix, aut ne vix quidem, subpetunt multo labore quaerentibus. Nec tamen ullo modo summum pecudis bonum et hominis idem mihi videri potest. Quid enim tanto opus est concursu honestissimorum studiorum, tanto virtutum comitatu, si ea nullam ad aliam rem nisi ad voluptatem conquiruntur? Ut, si Xerses, cum tantis classibus,

tantisque equestribus et pedestribus copiis, Hellesponto iuncto, Athone perfosso, maria ambulavisset, terramque navigasset, si, cum tanto impetu in Graeciam venisset, et causam quis ex eo quaereret tantarum copiarum tantique belli, mel se auferre ex Hymetto voluisse diceret, certe sine causa videretur tanta conatus; sic nos sapientem plurimis et gravissimis artibus atque virtutibus instructum et ornatum, non, ut Xerxen, maria pedibus peragrantem, classibus montes, sed omne caelum totamque cum universo mari terram mente complexum, voluptatem petere si dicemus, mellis causa dicemus tanta moliri. Ad altiora quaedam et magnificentiora, mihi crede, non ad voluptatem tantum, natus est homo; nec id ex animi solum partibus, intellegitur, in quibus inest memoria rerum praeteritarum, inest coniectura consequentium, inest moderatrix cupiditatis pudor, inest humanae societatis fida custodia iustitia, inest perpetiendis laboribus adeundisque periculis firma et stabilis doloris mortisque contemptio; sed etiam ex membris ipsis sensibusque corporis, qui, si consideramus volumus, non comites solum virtutum sed ministri etiam videbuntur. Quod si in ipso corpore multa voluptati praeponenda sunt, ut vires, valetudo, velocitas, pulchritudo, id magis dicendum est de animo, in quo doctissimi illi veteres inesse quiddam caeleste et divinum putaverunt.

## CXLV.

In promptu semper habeamus quantum natura hominis pecudibus reliquisque belluis antecedat. Illae nihil sentiunt nisi voluptatem, ad eamque feruntur omni impetu, hominis autem mens discendo alitur et cogitando; semper aliquid aut adquirit aut agit videndique et audiendi delectatione

ducitur. Quin etiam, si quis est paulo ad voluptates propensior, modo ne sit ex pecudum genere (sunt enim quidam homines non re sed nomine), sed si quis est paulo erectior, obcultat et dissimulat adpetitum voluptatis propter verecundiam. Ex quo intellegitur corporis voluptatem non satis esse dignam hominis praestantia, eamque contemni et reici oportere. Sin sit quispiam qui aliquid tribuat voluptati, diligenter ei tenendum esse fruendae modum. Itaque victus cultusque corporis ad valetudinem referatur et ad vires, non ad voluptatem. Atque etiam si considerare volumus quae sit in natura hominis excellentia et dignitas, intellegemus quam sit turpe diffluere luxuria et delicate ac molliter vivere, quamque honestum parce, continenter, severe, sobrie.

## CXLVI.

Nihil est naturae hominis adcomodatius quam beneficentia ac liberalitas; sed habet multas cautiones. Videndum est enim primum ne obsit benignitas et iis ipsis quibus benigne videbitur fieri, et ceteris; deinde ne maior benignitas sit quam facultates, tum ut pro dignitate cuique tribuatur. Nam et qui gratificatur cuipiam quod obsit illi, cui prodesse velle videatur, non beneficus neque liberalis, sed perniciosus adsentator iudicandus est; et qui aliis nocet ut in alium liberalis sit, in eadem est iniustitia ut si in suam rem aliena convertat. Sunt autem multi, et quidem cupidi splendoris et gloriae, qui eripiunt aliis quod aliis largiantur, iique arbitrantur se beneficos in suos amicos visum iri, si locupletent eos quacumque ratione. Alter locus erat cautionis, ne benignitas maior esset quam facultates; quod qui benigniores volunt esse quam res patitur, iniuriosi sunt in proximos; quas enim copias his

et subpeditari aequius est et relinqui, eas transferunt ad alienos. Inest autem in tali liberalitate cupiditas plerumque rapiendi et auferendi per iniuriam ut ad largiendum subpetant copiae. Videre etiam licet plerosque non tam natura liberales, quam quadam gloria ductos, ut benefici videantur, facere multa, quae proficisci ab ostentatione magis quam a voluntate videantur. Tertium est propositum ut in beneficientia dilectus esset dignitatis: in quo et mores eius sunt spectandi in quem beneficium conferetur, et animus erga nos et ad nostras utilitates officia ante conlata. Sed hoc maxime officii est ut quisque maxime opis indigeat, ita ei potissimum opitulari. Quod contra fit a plerisque: a quo enim plurimum sperant, etiamsi ille iis non eget, tamen ei potissimum inserviunt.

## CXLVII.

Beneficentiae ac liberalitatis est ratio duplex: nam aut opera benigne fit indigentibus aut pecunia. Facilior est haec posterior, locupleti praesertim, sed illa lautior ac splendidior et viro forti claroque dignior. Quamquam enim in utroque inest gratificandi liberalis voluntas, tamen altera ex arca, altera ex virtute depromitur; largitioque quae fit ex re familiari, fontem ipsum benignitatis exhaurit. Ita benignitate benignitas tollitur; qua quo in plures usus sis, eo minus in multos uti possis. At qui opera, id est virtute et industria, benefici et liberales erunt, quo pluribus profuerint, eo plures ad benigne faciendum adiutores habebunt, atque consuetudine beneficentiae paratiores erunt et tamquam exercitatiores ad bene de multis promerendum. Quam ob rem id quidem non dubium est quin illa benignitas quae constet ex opera et industria, et honestior sit

et latius pateat et possit prodesse pluribus; nonnumquam tamen ad largiendum, nec hoc benignitatis genus omnino repudiandum est et saepe idoneis hominibus indigentibus de re familiari impertiendum, sed diligenter atque moderate.

## CXLVIII.

Cum omnibus virtutibus me adfectum esse cupio, tum nihil est quod malim quam me et esse gratum et videri. Haec enim est una virtus non solum maxima, sed etiam mater virtutum omnium reliquarum. Quid est pietas nisi voluntas grata in parentes? qui sunt boni cives, qui belli, qui domi de patria bene merentes, nisi qui patriae beneficia meminerunt? qui sancti, qui religionum colentes, nisi qui meritam dîs inmortalibus gratiam iustis honoribus et memori mente persolvunt? Quae potest esse vitae iucunditas sublatis amicitiis? Quis est nostrum, cui non magistri sui atque doctores, cui non locus ipse, ubi alitus aut doctus est, cum grata recordatione in mente versetur? Equidem nihil tam proprium hominis existimo, quam non modo beneficio, sed etiam benevolentiae significatione adligari; nihil porro tam inhumanum, tam inmane, tam ferum quam conmittere ut beneficio indignus videare.

## CXLIX.

Nullam virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat praeter hanc laudis et gloriae: qua quidem detracta, quid est quod in hoc tam exiguo vitae curriculo et tam brevi tantis nos in laboribus exerceamus? Certe, si

nihil animus praesentiret in posterum et si quibus regionibus vitae spatium circumscriptum est, eisdem omnes cogitationes terminaret suas, nec tantis nos laboribus frangeremus neque tot curis vigiliisque angeremur, nec totiens de ipsa vita dimicaremus. Nunc insidet quaedam in optimo quoque virtus, quae noctes ac dies animum gloriae stimulis concitat atque admonet non cum vitae tempore esse dimetiendam commemorationem nominis nostri, sed cum omni posteritate adaequandam. Quis vero eorum, qui bella gerunt aut rem publicam administrantur atque in vitae periculis laboribusque versantur, tam parvi animi videatur esse, ut, cum usque ad extremum spatium nullum tranquillum atque otiosum spiritum duxerit, secum simul moritura omnia arbitretur? Aut cum statuas et imagines, non animorum simulacra sed corporum, relinquimus, ut memoriam nostri quam maxime longam studiose efficiamus, cur non iidem operibus nostris consilii ac virtutum nostrarum effigiem relinquemus?

## CL.

Quos nos et quales esse velimus et in quo genere vitae constituere, res est omnium difficillima. Ineunte enim adulescentia, cum est maxima imbecillitas consilii, tum id sibi quisque genus aetatis degendae constituit quod maxime adamavit; itaque ante implicatur aliquo certo genere cursuque vivendi, quam potuit quod optimum esse iudicare. Nam quod Herculem Prodicus dicit, ut est apud Xenophontem, cum primum pubesceret, quod tempus a natura ad deligendum quam quisque viam vivendi sit ingressurus, datum est, exisse in solitudinem atque ibi

sedentem, cum duas cerneret vias, unam Voluptatis, alteram Virtutis, diu secum multumque dubitasse, utram ingredi melius esset; hoc, inquam, Herculi « Iovis satu edito » potuit fortasse contingere; nobis non item, qui imitamur quos quique visum est, atque ad eorum studia institutaque impellimur; plerumque autem parentium praeceptis imbuti, ad eorum consuetudinem moremque deducimur; alii multitudinis iudicio feruntur, quaeque maiori parti pulcherrima videatur, ea maxime exoptant; non nulli tamen sive felicitate quadam sive bonitate naturae sive parentium disciplina rectam vitae secuti sunt viam. Illud autem maxime rarum genus est eorum qui, aut excellenti ingenii magnitudine aut praeclara eruditione atque doctrina aut utraque re ornati, spatium etiam deliberandi habuerunt, quem potissimum vitae cursum sequi vellent, ad suam quisque naturam consilium omne revocantes.

## CLI.

Officia non eadem disparibus aetatibus tribuuntur, aliaque sunt iuvenum, alia seniorum. Est adulescentis maiores natu vereri, exque iis deligere optimos et probatissimos, quorum consilio atque auctoritate nitatur; ineuntis enim aetatis inscitia senum constituenda et regenda prudentia est. Maxime autem haec aetas a libidinibus arcenda est exercendaque in labore patientiaque et animi et corporis, ut eorum et in bellicis et in civilibus officiis vigeat industria. Atque etiam cum relaxare animos et dare se iucunditati volent, caveant intemperantiam, meminerint verecundiae, quod erit facilius si in eiusmodi quidem rebus maiores natu volent interesse. Senibus

autem labores corporis minuendi, exercitationes animi etiam augendae videntur; danda vero opera, ut et amicos et iuventutem et maxime rem publicam consilio et prudentia quam plurimum adiuvent. Nihil autem magis cavendum est senectuti quam voluptates corporis, quae cum omni aetati tum senectuti foedissimae sunt. Libidinum vero intemperantia et ipsi senectuti dedecori est et facit adulescentium impudentiorem intemperantiam.

## CLII.

Naturam sequamur ducem et ab omni quod abhorret ab oculorum auriumque adprobatione fugiamus. Status, incessus, sessio, adcubitio, vultus, oculi, manuum nutus teneat decorem. Quibus in rebus duo maxime sunt fugienda, ne quid ecfeminatum aut molle et ne quid durum aut rusticum in nobis sit. Cum autem pulchritudinis duo genera sint, quorum in altero venustas sit, in altero dignitas, venustatem muliebrem ducere debemus, dignitatem virilem. Ergo et a forma removeatur omnis viro non dignus ornatus, et huic simile vitium in gestu motuque caveatur. Adhibenda praeterea munditia est, non odiosa neque exquisita nimis, tantum quae fugiat agrestem et inhumanam neglegentiam. Eadem ratio est habenda vestitus, in quo, sicut in plerisque rebus, mediocritas optima est. Cavendum autem est ne aut tarditatibus utamur in ingressu mollioribus, aut in festinationibus suscipiamus nimias celeritates. Sed multo etiam magis elaborandum est ne animi motus a natura recedant; quod adsequemur, si cavebimus ne in perturbationes atque exanimationes incidamus.

## CLIII.

Sit sermo simplex et lenis minimeque pertinax; nec vero qui loqui coepit, tamquam in possessionem suam venerit, excludat alios, sed suo quisque loco dicere patiatur. Ac videat in primis, quibus de rebus loquatur; si seriis, severitatem adhibeat, si iocosis, leporem; in primisque provideat, ne sermo vitium aliquod indicet inesse in moribus; quod maxime tum solet evenire, cum studiose de absentibus detrahendi causa aut per ridiculum aut severe, maledice cuntumelioseque dicitur. Habentur autem plerumque sermones aut de domesticis negotiis aut de re publica aut de artium studiis atque doctrina. Danda igitur opera est, ut, etiamsi aberrare ad alia coeperit, ad haec revocetur oratio, sed utcumque aderunt; neque enim isdem de rebus nec omni tempore nec similiter delectamur. Animadvertendum est etiam quatenus sermo delectationem habeat et ut incipiendi ratio fuerit, ita sit desinendi modus.

## CLIV.

Est homini in omni re constantia moderatioque servanda, ne quid inconsiderate noglegenterque agat. Neque enim ita generati a natura sumus, ut ad ludum et iocum facti esse videamur, ad severitatem potius et ad quaedam studia graviora atque maiora. Ludo autem et ioco uti illo quidem licet, sed sicut somno et quiete, tum cum gravibus seriisque rebus satis fecerimus. Genus autem iocandi

non profusum nec immodestum, sed ingenuum et facetum esse debet. Ut enim pueris non omnem ludendi licentiam damus, sed eam, quae ab honestatis actionibus non sit aliena, sic in ipso ioco aliquod probi ingenii lumen eluceat. Duplex omnino est iocandi genus; unum inliberale et obscenum, alterum elegans et urbanum; illud unum est ingenuo homine dignum; hoc ne homine quidem, eoque minus libero. Ludendi est etiam quidam modus retinendus, ut ne in aliquam turpitudinem delabamur.

## CLV.

Fuit quoddam tempus, cum in agris homines passim bestiarum more vagabantur, et sibi victu fero vitam propagabant, nec ratione animi, sed se suaque viribus corporis administrabant. Nondum divinae religionis, non humani officii ratio colebatur; nemo nuptias viderat legitimas, non ius aequabile quid utilitatis haberet, adceperat. Ita propter errorem atque inscientiam caecae ac temerariae dominatrices animi cupiditates ad se explendas viribus corporis abutebantur, perniciosissimis satellitibus. Quo tempore quidam, magnus videlicet vir et sapiens, cognovit quae et quanta ad maximas res obportunitas inesset in animis hominum, si quis eum posset praecipiendo meliorem reddere; qui dispersos homines in agris et in tectis silvestribus abditos ratione quadam compulit unum in locum et congregavit, et eos in unam quamque rem inducens utilem atque honestam, primo propter insolentiam reclamantes, deinde propter rationem atque orationem studiosius audientes, ex feris et inmanibus mites reddidit et mansuetos.

## CLVI.

Gradus plures sunt societatis hominum. Ut enim ab illa amplissima et paene infinita discedatur, quae est humani generis, propior est eiusdem gentis, interior etiam eiusdem civitatis. Multa enim sunt civibus inter se communia, fana, leges, iura, iudicia, subfragia, consuetudines praeterea et familiaritates multisque cum multis res rationesque contractae. Artior vero conligatio est societatis propinquorum, in qua communia omnia: monumenta maiorum, sepulcra, bona. Sed omnium societatum nulla praestantior est nulla firmior, quam cum viri boni moribus similes sunt familiaritate coniuncti, omnis enim virtus nos ad se adlicit facitque ut eos diligamus in quibus ipsa inesse videatur nihil autem est amabilius nec copulatius quam morum similitudo bonorum. In quibus enim eadem studia sunt, eaedem voluntates, in iis fit ut aeque quisque altero delectetur ac se ipso, efficiturque id, quod Pythagorae ultimum in amicitia videbatur, ut unus fiat ex duobus.

## CLVII.

Patria communis est parens omnium nostrum. Omnium societatum nulla est gravior, nulla carior quam ea quae cum loco quo nati sumus, est unicuique nostrum. Cari sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares, sed omnes omnium caritates patria una complexa est pro qua quis nostrum dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus?

Quo est detestabilior illorum inmanitas, qui lacerant omni scelere patriam et in ea funditus delenda obcupati sunt; nemo contra praeclarior est aut praestantior quam qui de re publica bene meretur.

## CLVIII.

Est lex nihil aliud nisi recta ratio, imperans honesta, prohibens contraria. Constat ad salutem civium civitatumque incolumitatem vitamque hominum quietam et beatam inventas esse leges; indignum igitur est in ea civitate quae legibus contineatur, discedi a legibus. Hoc est enim fundamentum libertatis, hic fons aequitatis. Mens et animus et consilium et sententia civitatis est in legibus. Ut corpora nostra sine mente, sic civitas sine lege, suis partibus, ut nervis, ac sanguine et membris uti non potest. Legum ministri, magistratus; legum interpretes, iudices; legum denique idcirco omnes servi sumus, ut liberi esse possimus.

## CLIX.

Magistratus haec est vis, ut praesit praescribatque recta et utilia et coniuncta cum legibus. Ut enim magistratibus leges, ita populo praesunt magistratus, vereque dici potest magistratum legem esse loquentem, legem autem mutum magistratum. Nihil porro tam aptum est ad ius condicionemque naturae, quam imperium; sine quo nec domus ulla nec civitas nec gens nec genus hominum stare nec ipse mundus potest. Nam et hic Deo paret, et huic oboediunt maria terraeque, et hominum vita iussis supremae legis obtemperare debet. Itaque debent omnes

cives obaedire magistratibus, nec vero solum obtemperare, sed etiam eos colere atque diligere, ut in suis legibus praescripsit Charondas, qui Siculis civitatibus leges scripsit. Iure vero Plato philosophus Titanum e genere statuit eos qui magistratibus adversentur, comparat scilicet iis qui caelestibus adversati sunt.

## CLX.

Qui rei publicae praefuturi sunt, duo Platonis praecepta teneant, unum, ut utilitatem civium sic tueantur, ut, quaecumque agunt, ad eam referant obliti conmodorum suorum; alterum, ut totum corpus rei publicae curent, ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant. Ut enim tutela, sic procuratio rei publicae ad eorum utilitatem qui commissi sunt, non ad nostram gerenda est. Qui autem parti civium consulunt, partem neglegunt, rem perniciosissimam in civitatem inducunt, seditionem atque discordiam; dum enim alii populi, alii optimatium causam agunt, nemo fere universorum. Hinc apud Athenienses maximae discordiae, in nostra re publica non solum seditiones, sed etiam pestifera bella civilia. Quae gravis et fortis civis et in re publica dignus principatu fugiet atque odierit tradetque se totum rei publicae, neque opes aut potentiam consectabitur, totamque eam sic tuebitur, ut omnibus consulat. Miserrima autem omnino est ambitio honorumque contentio, de qua praeclare apud eumdem est Platonem, « similiter facere eos, qui inter se contenderent uter potius rem publicam administrarent, ut si nautae certarent, quis eorum potissimum gubernaret ». Idemque praecipit ut eos adversarios existimemus qui arma contra ferant, non eos qui suo iudicio tueri rem publicam velint.

## CLXI.

Cum populus inexplebili exaruerit libertatis siti, malisque usus ministris non modice temperatam sed nimis meracam libertatem sitiens hauserit, tum magistratus et principes, nisi valde lenes et remissi sint, insequitur, insimulat, arguit; praepotentes, reges, tyrannos vocat. Ii etiam qui parent principibus, ab eo agitantur et servi voluntarii adpellantur; ii autem qui in magistratu privatorum similes esse volunt, iique privati, qui ecficiunt ne quid inter privatum et magistratum differat, feruntur laudibus et mactantur honoribus. In eiusmodi re publica plena libertatis sint omnia necesse est, et privata domus omni vacet dominatione; pater filium metuat, filius patrem neglegat; absit omnis pudor, magister ipse discipulos metuat et iis blandiatur, spernantque discipuli magistros, adulescentes senum sibi pondus adsumant, senes autem ad ludum adolescentium descendant, ne sint iis odiosi et graves. Ex quo fit ut ita fastidiosi et molles paullatim evadant cives, ut si minima vis adhibeatur imperii, irascantur et perferre nequeant, leges quoque incipiant neglegere, ut plane sine ullo domino sint. Verum, ut ex nimia potentia principum, eorum plerumque oritur interitus, sic nimia libertas populo in servitutem cadit. Hic enim populus inmanis ac indomitus, contra illos principes adflictos iam et depulsos loco, ducem aliquem deligere cogitur audacem, impurum, consectantem proterve bene de re publica meritos, et populo gratificantem et aliena et sua. Cui dantur primo imperia et continuantur, dein, ut Athenis Pysistrato, praesidia ad sui custodiam conceduntur; postremo eorum ipsorum, a quibus productus est, exsistit tyrannus.

## CLXII.

Tantus est innatus in nobis cognitionis amor et scientiae, ut nemo dubitare possit, quin ad eas res animus noster nullo emolumento invitatus rapiatur. In pueris id videmus, qui ne verberibus quidem a contemplandis rebus perquirendisque deterrentur, et pulsi recurrunt, et aliquid scire se gaudent, et quod didicerunt aliis narrare gestiunt. Quid vero? qui ingenuis studiis atque artibus delectantur, nonne videmus eos nec valetudinis, nec rei familiaris habere rationem? et cum maximis curis et laboribus compensare eam, quam ex discendo capiant, voluptatem? Mihi quidem Homerus huiusmodi quiddam vidisse videtur in iis quae de Sirenum cantibus finxerit. Neque enim vocum suavitate videntur aut novitate quadam et varietate cantandi revocare eos solitae, qui praetervehebantur, sed quia multa se scire profitebantur; ut homines ad earum saxa discendi cupiditate adl acrescerent.

## CLXIII.

Qui propter animi voluptates coli dicunt ingenua studia atque artes, non intellegunt idcirco esse propter se expetenda, quod nulla utilitate obiecta, delectetur animus atque ipsa scientia, etiam si sine summa difficultate multoque labore comparari non possit, gaudeat. Sed quid adtinet rem tam apertam ostendere? Quam nos movent stellarum motus contemplationes, eorumque omnium quae naturae obscuritate occultantur! Quam delectat historiae lectio! Quod etsi non minor est in historia utilitas quam voluptas, an non fictas fabulas, e quibus utilitas nulla elici potest, cum voluptate legimus? Aut cum res gestas clarissimorum

virorum legimus, nonne eorum nomina penitus perno scere volumus, parentes, patriam, multa praeterea minime necessaria? Quocirca intellegi necesse est in ipsis rebus, quae discuntur et cognoscuntur, invitamenta inesse, quibus ad discendum cognoscendumque moveamur. Ac veteres quidem philosophi, in beatorum insulis, cum fingunt qualis futura sit vita sapientium, eos cura omni liberatos, nullum necessarium vitae cultum requirentes, omne tempus in quaerendo ac discendo in naturae cognitione consumere putaverunt. Nobis autem non solum beatae vitae ista est oblectatio, sed etiam levamentum miseriarum. Itaque quam multi cum in potestate essent hostium aut tyrannorum, quam multi in custodia, quam multi in exilio, dolorem suum doctrinae studiis levaverunt?

## CLXIV.

Quid est optabilius sapientia, quid praestantius, quid homini melius, quid homine dignius? Hanc igitur qui expetunt, philosophi nominantur, nec quidquam aliud est philosophia, si interpretari velis, praeter studium sapientiae. Sapientia autem est, ut a veteribus philosophis definitum est, rerum divinarum et humanarum causarumque, quibus eae res continentur, scientia. Philosophia vitae dux, virtutis indagatrix expultrixque vitiorum a Cicerone adpellata est. Ea urbes peperit, ea dissipatos homines in societatem vitae convocavit, quos inter se primo domiciliis, deinde coniugiis, tum literarum et vocum communione iunxit; ea inventrix legum, ea magistra morum et disciplinae fuit, quae et vitae tranquillitatem largita nobis est et terrorem mortis sustulit. Ac philosophia quidem tantum abest ut proinde ac de hominum est vita merita laudetur,

ut a plerisque neglecta, a multis etiam vituperetur. Sed, ut opinor, hic error indoctorum animis obiectus est, quod tam longe retro respicere non possunt, nec eos, a quibus vita hominum instructa primis sit, fuisse philosophos arbitrantur. Cum enim non admodum sit antiquum nomen philosophi, tamen sapientia ipsa non modo re est antiquissima, verum etiam nomine; siquidem sapientes habiti sunt et nominati non modo illi Graeciae septem, sed et multis ante saeculis Lycurgus, qui Spartae leges scripsit, et iam heroicis aetatibus Ulixes et Nestores; ac deinceps omnes qui in rerum contemplatione studia ponebant, sapientes nominati sunt, usque ad Pythagorae aetatem, qui primus nomen philosophi invenit.

## CLXV.

Referamus animum ad hominum vel etiam ceterorum animantium formam et figuram; nullam partem corporis sine aliqua necessitate adfictam, totam vero formam quasi perfectam reperiemus arte, non casu. Quid in arboribus, in quibus non truncus, non rami, non folia sunt denique nisi ad suam retinendamque conservandamque naturam? nusquam tamen est nulla pars nisi venusta. Linquamus naturam artesque videamus. Quid tam in navigio necessarium quam latera, quam carinae, quam prora, quam puppis, quam antennae, quam mali, quam vela? quae tamen hanc habent in specie venustatem, ut non solum salutis, sed etiam voluptatis causa inventa esse videantur. Columnae item templa et porticus sustinent, tamen habent non plus utilitatis quam dignitatis. Hoc in omnibus item partibus orationis evenit, quae modo sit adcurata, ut utilitatem ac prope necessitatem suavitas quaedam et lepos

consequatur. Etenim clausulas atque interpuncta verborum, animae interclusio atque angustiae spiritus adtulerunt; id autem inventum ita suave est, ut, si cui sit infinitus spiritus datus, tamen eum perpetuare verba nolimus: ut quod auribus nostris sit gratum, id hominum lateribus non tolerabile solum, sed etiam facile esse possit. Atque videmus in plerisque rebus ea quae maximam utilitatem in se contineant, plurimum eadem habere vel dignitatis vel saepe etiam venustatis.

## CLXVI.

Ego sic statuo nihil esse in ullo genere tam pulchrum, quo non pulchrius id sit, unde illud, ut ex ore aliquo, quasi imago exprimatur; speciem nimirum esse pulchritudinis, quae neque oculis, neque auribus neque ullo sensu percipi possit, cogitatione tantum et mente comprehendatur. Itaque et Phidiae simulacris aut Apellis picturis, quibus nihil in illo genere perfectius videmus, cogitare tamen possumus pulchriora. Nec vero ille artifex, cum faceret Iovis formam aut Minervae, contemplabatur aliquem, e quo similitudinem duceret; sed ipsius in mente insidebat species pulchritudinis eximia quaedam, quam intuens in eaque defixus, ad illius similitudinem artem et manum dirigebat. Ut igitur in formis et figuris est aliquid perfectum et excellens, cuius ad cogitatam speciem imitando refert artifex ea quae sub oculos ponit; sic perfectae eloquentiae speciem animo videmus, effigiem auribus quaerimus. Has rerum formas adpellat *ideas*. Plato, easque gigni negat, et ait semper esse, ac ratione et intellegentia contineri: cetera nasci, obcidere, fluere, labi, nec diutius esse uno et eodem statu.

## CLXVII.

Qui res magnas et magno opere expetendas concupiverunt, omnia debent experiri ut id quod intendunt consequantur. Quodsi quem aut praestantis ingenii vis aut doctrinae copia deficiet, teneat tamen eum cursum quem poterit. Prima enim sequentem, honestum est in secundis tertiisque consistere. Nam in poëtis non Homero soli locus est, ut de Graecis loquar, aut Archilocho, aut Sophocli, aut Pindaro; sed horum vel secundis vel etiam infra secundos. Nec vero Aristotelem deterruit a scribendo amplitudo Platonis; nec ipse Aristoteles admirabili quadam scientia et copia ceterorum studia restinxit. Nec solum ab optimis studiis poëtae atque philosophi deterriti non sunt, sed ne opifices quidem se ab artibus suis removerunt, qui aut Veneris, quam Apelles pinxit, non potuerunt aut Ialysi, quem Protogenes, pulchritudinem imitari. Nec simulacro Iovis Olympii aut Doryphori statua deterriti reliqui minus experti sunt, quid efficere aut quo progredi possent: quorum tanta multitudo fuit, tanta in suo cuiusque genere laus, ut, cum summa miraremur, inferiora tamen probaremus. De oratoribus vero, Graecis quidem, similia dici possunt. Admirabile est quantum inter omnes unus excellat Demosthenes. Ac tamen, cum esset Demosthenes, multi oratores magni et clari fuerunt, et antea fuerant; nec postea defecerunt. Quare non est cur eorum qui se studio artis aut disciplinae cuiuslibet dediderunt, spes infringatur aut languescat industria. Nam neque illud ipsum quod est optimum desperandum est; et in praestantibus rebus, magna sunt ea quae sunt optimis proxima.

## CLXVIII.

Est eloquentiae, sicut reliquarum rerum, fundamentum sapientia. Ut enim in vita, sic in oratione, nihil est difficilius, quam quid deceat videre. Res est haec cognitione dignissima, cuius ignoratione non modo in vita, sed saepissime et in literis et in artibus peccatur. Est enim quid deceat, oratori videndum non in sententiis solum, sed etiam in verbis. Non enim omnis fortuna, non omnis honos, non omnis auctoritas, non omnis aetas, nec vero locus aut tempus, aut auditor omnis eodem aut verborum genere tractandus est aut sententiarum. Utrumque et in re de qua agitur, positum est, et in personis et eorum qui dicunt, et eorum qui audiunt. Quam enim indecorum est, de stillicidiis cum apud unum iudicem dicas, amplissimis verbis et locis uti communibus, de maximis rei publicae rebus submisse et subtiliter! Hic re peccatur; sed et persona peccari potest, nec re solum sed saepe verbo. Etsi enim sine re nulla vis verbi est, tamen eadem res saepe aut probatur aut reicitur, alio atque alio elata verbo. In omnibusque rebus videndum est quatenus: etsi enim suus cuique modus est, tamen magis offendit nimium quam parum. In quo Apelles pictores quoque eos peccare dicebat, qui non sentirent quid esset satis.

## CLXIX.

Locus et regio quasi ridiculi turpitudine et deformitate quadam continetur. Haec enim ridentur vel sola vel maxime quae notant et designant turpitudinem aliquam non turpiter. Neque tamen insignis improbitas et scelere iuncta,

nec rursus miseria insignis ridenda est: facinorosi maiore quadam vi quam ridiculi vulnerari volunt; miseros illudi nemo vult, nisi se forte iactant. Cavendum autem est ne temere in eos dicas, qui diliguntur; et haec adhibenda est primum in iocando moderatio. Itaque ea facillime luduntur, quae neque odio magno neque misericordia maxima digna sunt; ea belle agitata ridentur. Est etiam deformitatis et corporis vitiorum bella materies ad iocandum; sed quaerimus idem, quod in caeteris rebus maxime quaerendum est, quatenus. In quo non modo illud praecipitur, ne quid insulse, sed etiam ne quid perridicule possit, etiam si res sit risu dignissima, ne aut scurrilis iocus sit aut mimicus.

## CLXX.

Natura nulla est quae non habeat in suo genere res complures dissimiles inter se, quae tamen consimili laude dignentur. Nam et auribus multa percipimus, quae etsi nos delectant, tamen ita sunt varia, ut id quod proximum audias, iucundissimum esse videatur; et oculis conliguntur paene innumerabiles voluptates, quae nos dissimili genere delectant; et reliquos sensus voluptates oblectant dispares, ut sit difficile iudicium excellentis maxime suavitatis. At hoc idem, quod est in naturis rerum, transferri potest etiam ad artes. Una fingendi est ars, in qua praestantes fuerunt Myro, Polyclitus, Lysippus; qui omnes inter se dissimiles fuerunt, sed ita tamen, ut neminem sui velis esse dissimilem. Una est ars ratioque picturae, dissimillimique tamen inter se Zeuxis, Aglaophon, Apelles, neque eorum quisquam est cui quidquam in arte sua defuerit. Et si hoc in his quasi mutis artibus est mirandum et tamen verum, quanto admirabilius in oratione atque in lingua?

Tum etiam cum duo vel plures scriptores in iisdem sententiis verbisque versantur, summas habent dissimilitudines; non sic ut alii vituperandi sint alii laudandi, sed ut ii quos constet esse laudandos, in dispari tamen genere laudentur. Atque id primum in poëtis cerni licet, quam sint inter sese apud Graecos Aeschylus, Sophocles, Euripides dissimiles; quam apud Romanos Ennius, Pacuvius, Accius; quamquam omnibus par paene laus in dissimili scribendi genere tribuatur. Quod si oratores adspicimus atque intuemur, idem interesse inter eorum studia atque naturas videbimus. Suavitatem Isocrates, ut de Graecis loquamur, subtilitatem Lysias, acumen Hyperides, sonitum Aeschines, vim Demosthenes habuit. Quis eorum non egregius? tamen, quis cuiusquam nisi sui similis?

## CLXXI.

Omnis oratio conficitur ex verbis, quorum primum nobis ratio simpliciter videnda est, deinde coniunctae. Nam est quidam ornatus orationis, qui ex singulis verbis est; alius, qui ex continuatis coniunctisque constat. Ergo uti possumus verbis aut iis, quae propria sunt et certa quasi vocabula rerum, paene una nata cum rebus ipsis; aut iis quae transferuntur et quasi alieno in loco conlocantur. In proprii igitur est verbis illa laus oratoris, ut abiecta atque obsoleta fugiat, lectis atque inlustribus utatur. Sed in hoc verborum genere propriorum delectus aurium quodam iudicio ponderandus est; in quo consuetudo etiam bene loquendi valet plurimum. Itaque hoc, quod vulgo ab imperitis dici solet: « Bonis hic verbis, aut: ille non bonis utitur », non arte aliqua perpenditur, sed quodam quasi

naturali sensu indicatur. Modus autem transferendi verbi late patet, quem necessitas genuit inopia coacta et angustiis, post autem iucunditas delectatioque celebravit. Nam, ut vestis frigoris depellendi causa reperta primo, post adhiberi coepta est ad ornatum etiam corporis et dignitatem, sic verbi translatio instituta est inopiae causa, frequentata delectationis. Nam « *gemmare* vites, agros *sitire*, *laxuriem* esse in herbis, *laetas* segetes » etiam rustici dicunt. Quod enim declarari vix verbo proprio potest, id translato cum est dictum, inlustrat id quod intellegi volumus, eius rei, quam alieno verbo posuimus, similitudo. Ergo hae translationes quasi mutuationes sunt, cum quod non habeas, aliunde sumas: illae paulo audaciores, quae non inopiam indicant, sed orationi splendoris aliquid arcessunt.

## CLXXII.

Metaphora similitudinis est ad verbum unum contracta brevitas, qua verbum in alieno loco tamquam in suo ponitur. Etiam tum cum est in lingua suorum verborum maxima copia, tamen homines aliena multo magis, si sint ratione translata, delectant. Id adcidere credo, vel quod ingenii specimen est quoddam transilire ante pedes posita et alia longe repetita sumere; vel quod is qui audit, alio ducitur cogitatione, neque tamen aberrat, quae maxima est delectatio; vel quod singulis verbis res ac totum simile conicitur; vel quod omnis translatio, quae quidem sumpta ratione est, ad sensus ipsos admovetur, maxime oculorum, qui est sensus acerrimus. Nam et *odor* urbanitatis et *mollitudo* humanitatis et *murmur* maris et *dulcitudo* orationis sunt ducta a ceteris sensibus; illa vero oculorum

multo acriora, quae ponunt paene in conspectu animi, quae cernere et videre non possumus. Nihil est enim in rerum natura, cuius nos non in aliis rebus possimus uti vocabulo et nomine; unde enim simile duci potest (potest autem ex omnibus) indidem verbum unum, quod similitudinem continet, translatum lumen adferre orationi. Videndum tamen est ne longe simile sit ductum. *Scopulum* artis quam *syrtim* libentius dixeris, *voraginem* potius quam *charybdim;* facilius enim ad ea quae visa, quam ad illa quae audita sunt, mentis oculi ferantur. Et quoniam haec vel summa laus est in verbis transferendis, ut sensum feriat id quod translatum sit, fugienda est omnis turpitudo earum rerum, ad quas eorum animos qui audient, trahet similitudo. Atque etiam, cum paullo durior translatio esse videatur, mollienda est praeposito saepe verbo; ut si, M. Catone mortuo, *pupillum* seratum quis relictum diceret, paullo durius; sin, *ut ita dicam, pupillum*, mitius. Etenim verecunda debet esse translatio, ut deducta esse in alienum locum, non inrupisse, atque ut precario, non vi, venisse videatur.

## CLXXIII.

Ex metaphora allegoria profluit quae ex pluribus continuatis verbis translatis connectitur, ut aliud dicatur, aliud intellegendum sit. Est hoc magnum ornamentum orationis, in quo obscuritas fugienda est, ne fiat aenigma; etenim hoc fere genere fiunt ea, quae dicuntur aenigmata. A metaphora atque ab allegoria differt metonymia, ut cum pro *Afris* Africa dicitur; quod non est translatum verbum, sed ornandi causa proprium proprio commutatum. Hic quoque modus orationem inlustrat atque

exornat, et saepe sumitur praesertim in poëmatis, ut cum pro bello *Mars*, *Ceres* pro frugibus dicitur, *Neptunus* pro mari, *curia* pro senatu; vel cum virtutes et vitia pro ipsis, in quibus illa sunt, adpellantur, et *luxuriem in domum inrupisse*, *avaritiam in aliam penetravisse*, *fidem valuisse*, *iustitiam confecisse* dicitur. Ex quo intellegitur inflexo commutatoque verbo rem camdem ornatius enuntiari. Sunt etiam alia iis finitima, minus ornata sed tamen non ignoranda, quae ad synecdochem pertinent, ut cum intellegi volumus aliquid aut ex parte totum, ut *parietes* aut *tecta* pro domo; aut ex toto partem, ut *turmam* pro equitatu; aut ex uno plures, ut *Romanum hominem* pro Romanis; aut ex pluribus unum, ut *nos* pro me. In quibus omnibus aliud ac dictum est, intellegendum.

## CLXXIV.

Versus veteres illi in soluta quoque oratione propemodum, hoc est numeros quosdam nobis esse adhibendos putaverunt; etenim orationis interpunctiones et clausulas interspiratione, non dicentis defatigatione definiri, neque librariorum notis, sed verborum et sententiarum vi atque gravitate indicari voluerunt. Idque princeps apud Graecos Isocrates instituisse fertur, ut inconditam antiquorum dicendi consuetudinem, delectationis atque aurium causa, numeris adstringeret. Namque haec duo musici, qui erant quomdam idem poëtae, machinati ad voluptatem sunt, versum atque cantum, ut et verborum numero et vocum modo delectatione vincerent aurium satietatem. Haec igitur duo, vocis dico moderationem et verborum conclusionem, quoad orationis severitas pati posset, a poëtica ad eloquentiam transducenda duxerunt. In quo illud est

maximum, quod versus in oratione, si efficitur coniunctione verborum, vitium est; et tamen eam coniunctionem, sicuti versum, numerose cadere et quadrare et perfici volumus. Neque est ex multis res una, quae magis oratorem ab imperito dicendi ignaroque distinguat, quam quod illo rudis incondite fundit quantum potest, et id quod dicit, spiritu non arte determinat; orator autem sic inligat sententiam verbis, ut eam numero quodam complectatur et adstricto et soluto. Nam, cum vinxit forma et modis, relaxat et liberat inmutatione ordinis, ut verba neque adligata sint quasi certa aliqua lege versus, neque ita soluta ut vagentur.

## CLXXV.

Nihil mihi praestabilius videtur, quam posse dicendo tenere hominum coetus, mentes adlicere, voluntates impellere quo velis, unde autem velis deducere. Haec una res in omni libero populo praecipuo semper floruit semperque dominata est. Quid enim est aut tam admirabile, quam ex infinita multitudine hominum exsistere unum, qui populi motus, iudicum religiones, senatus gravitatem oratione convertat? aut tam iucundum cognitu atque audita quam sapientibus sententiis gravibusque verbis ornata oratio et polita? Quid tam porro regium, tam liberale, tam munificum, quam opem ferre supplicibus, excitare adflictos, liberare periculo? Quid autem tam necessarium quam tenere semper arma, quibus vel tectus ipse esse possis vel provocare improbos vel te ulcisci lacessitus? Age vero, ne semper forum, subsellia, rostra curiamque meditere, quid esse potest in otio aut iucundius aut magis proprium humanitatis, quam sermo facetus ac nulla in re rudis?

Hoc enim uno praestamus vel maxime feris, quod conloquimur inter nos et quod exprimere dicendo sensa possumus. Quamob rem quis non summe in eo elaborandum esse arbitretur, ut, quo uno homines maxime bestiis praestent, in hoc hominibus ipsis antecellat?

## CLXXVI.

Si quis quam multi quique homines in artibus ac literis floruerint, circumspicere voluerit, facillime oratorum longe pauciorem fuisse numerum iudicabit. Etenim neminem fugit omnium artium procreatricem quamdam et quasi parentem esse philosophiam. In qua difficile est enumerare quot viri clari extiterint, qui non una aliqua in re separatim elaborarint, sed omnia, quaecunque possent, vel scientiae pervestigatione vel ingenii viribus comprehenderint. Quis ignorat ii, qui mathematici vocantur, quanta in obscuritate rerum et quam recondita in arte et multiplici subtilique versentur? Cui tamen scientiae nemo fere vehementius studuisse videtur, quin quod voluerit consecutus sit. Quis umquam antiquarum literarum studiis penitus se dedit, quin omnem illarum artium paene infinitam vim et materiem scientia et cognitione comprehenderit? Omnino minima copia est poëtarum egregiorum; tamen, si diligenter graecarum ac latinarum historiam literarum comparare volemus, multo pauciores oratores quam poëtae boni reperientur. Quod hoc etiam mirabilius debet videri, quia ceterarum artium studia fere e reconditis atque abditis fontibus hauriuntur, dicendi autem omnis ratio in medio posita conmun quodam in usu atque in hominum more

et sermone versatur, ut in ceteris id maxime excellat, quod longissime sit ab imperitorum intellegentia sensuque disiunctum, in dicendo autem vitium vel maximum sit a vulgari genere orationis atque a consuetudine communis sensus abhorrere. Ac ne illud quidem vere dici potest aut plures ceteris inservire aut maiore delectatione aut spe uberiore aut praemiis ad perdiscendum amplioribus commoveri. Quod si in tam amplis eloquentiae propositis praemiis tam fuit exiguus, omnibus aetatibus atque apud omnes gentes, bonorum oratorum numerus, quid aliud esse causae putabimus, nisi rei quamdam incredibilem magnitudinem ac difficultatem?

## CLXXVII.

Fieri non potest ut doleat is qui audit, ut oderit, ut invideat, ut pertimescat aliquid, ut ad fletum misericordiamque deducatur, nisi omnes illi motus, quos adhibere vobis ei, in te ipso impressi esse atque insisti videbuntur. Neque est enim facile perficere, ut irascatur ei cui tu velis, iudex, si tu ipse id lente ferre videare; neque ut oderit eum, quem tu velis, nisi te ipsum flagrantem odio ante viderit; neque ad misericordiam adducetur, nisi tu ei signa doloris tui verbis, sententiis, voce, vultu, conlacrimatione denique ostenderis. Ut enim nulla materies tam facilis ad exardescendum est, quae nisi admoto igni ignem concipere possit, sic nulla mens est tam ad comprehendendam vim oratoris parata, quae possit incendi, nisi ipse inflammatus ad eam et ardens adcesserit. Ac ne hoc forte magnum ac admirabile esse videatur, hominem totiens irasci, totiens dolere, totiens omni motu animi concitari, magna vis est

earum sententiarum atque eorum locorum, quos agat tractetque dicendo orator, nihil ut opus sit simulatione et fallaciis. Ipsa enim natura orationis eius, quae suscipitur ad aliorum animos permovendos, oratorem ipsum magis etiam quam quemquam eorum, qui audiunt, permovet.

## CLXXVIII.

Semper oratorum eloquentiae moderatrix fuit auditorum prudentia. Omnes enim qui probari volunt, voluntatem eorum qui audiunt, intuentur, ad eamque et ad eorum arbitrium et nutum totos se fingunt et adconmodant. Itaque Caria et Phrygia et Mysia, quod minime politae minimeque elegantes sunt, adsciverunt aptum suis auribus opimum quoddam et tamquam adipale dictionis genus, quod eorum vicini (non ita lato interiecto mari) Rhodii numquam probaverunt, Athenienses vero funditus repudiaverunt, quorum semper fuit prudens sincerumque iudicium, nihil ut possent, nisi inconruptum audire et elegans. Eorum religioni cum serviret orator, nullum verbum insplens, nullum odiosum ponere audebat. Ad Atticorum igitur aures teretes et religiosas qui se adconmodant, ii sunt existimandi Attice, id est pure et eleganter, dicere.

## CLXXIX.

Qui ad populum dicit, huic praecipue probari velle debet. Etenim necesse est, qui ita dicat ut a multitudine probetur, eundem doctis probari. Nam, quid in dicendo rectum sit aut prāvum, ego iudicabo, si modo is sum, qui id possim aut sciam iudicare; qualis vero sit orator, ex

eo quod is dicendo ecficiat, poterit intellegi. Tria sunt enim (ut quidem ego sentio), quae sint ecficienda dicendo: ut doceatur is, apud quem dicetur, ut delectetur, ut moveatur vehementius. Quibus virtutibus oratoris horum quidque ecficiatur, aut quibus vitiis orator aut non adsequatur haec, aut etiam in his labatur et cadat, artifex aliquis iudicabit; ecficiatur autem ab oratore necne, ut ii qui audiunt, ita adficiantur ut orator velit, vulgi adsensu et populari adprobatione iudicari solet. Itaque nunquam de bono oratore aut non bono doctis hominibus cum populo dissensio esse potest. Age tum, animum paulispor referamus ad ea tempora quibus maximi illi Athenienses et Latini oratores floruerunt. De populo si quem utriusve civitatis ita rogavisses: quis est eloquentissimus? in Demosthene et Aeschyne in hac, in Cicerone et Hortensio in illa aut dubitaret, aut hunc aliquis, illum alius diceret; nemo quidem his mediocrem oratorem multoque minus clamatorem anteferret. Id enim ipsum est summi oratoris, summum oratorem populo videri. Quare tibicen Antigenidas dixerit discipulo sane frigenti ad populum: « Mihi cane et Musis »; ego oratori dicenti apud multitudinem: « Mihi cane et populo, dixerim qui audient, quid ecficiatur, ego etiam cur id ecficiatur, intellegam ».

## CLXXX.

Nemo sine philosophia perfectus orator ecfici potest, non quo in ea omnia sint, sed quod nec latius nec copiosius de magnis variisque rebus sine philosophia potest quisquam dicere. Siquidem etiam in Phaedro Platonis hoc

Periclem praestitisse ceteris dicit oratoribus Socrates, quod is Anaxagorae physici fuerit auditor, a quo censet eum, cum alia praeclara quaedam et magnifica didicisset, uberem et fecundum fuisse, gnarumque (quod est eloquentiae maximum), quibus orationis modis quaeque animorum partes pellerentur. Quod idem de Demosthene existimari potest, cuius ex epistolis intellegi licet, quam frequens fuerit Platonis auditor. Nec vero sine philosophorum disciplina, genus et speciem cuiusque rei cernere, neque eam definiendo explicare, nec tribuere in partes potest orator; nec iudicare quae vera, quae falsa sint; neque cernere consequentia, repugnantia videre, ambigua distinguere. Quid dicam de ea philosophiae parte quam de moribus adpellare solemus? de vita, de officiis, de virtute, de moribus, sine multa earum ipsarum rerum disciplina quid dici aut intellegi potest?

## CLXXXI.

Philosophiae sermo magnum interdum ornatum habuit. Siquidem et Teophrastus divinitate loquendi nomen invenit, et Aristoteles Isocratem ipsum lacessivit, et Xenophontis voce Musas quasi locutas ferunt; et longe omnium, quicumque scripserunt aut locuti sunt, exstitit et suavitate et gravitate princeps Plato. Tamen horum oratio neque nervos neque aculeos oratorios ac forenses habet; loquuntur cum doctis, quorum sedare animos malunt quam incitare. Sic de rebus placatis ac minime turbulentis, docendi causa, non capiendi, loquuntur; ut in eo ipso quod delectationem aliquam dicendo aucupentur, plus nonnullis, quam necesse sit, facere videantur. Ergo ab hoc genere non

difficile est oratorum eloquentiam secernere. Mollis est enim oratio philosophorum et umbratilis, nec sententiis, nec verbis instructa popularibus, nec vincta numeris, sed soluta liberius; nihil iratum habet, nihil invidum, nihil atrox, nihil mirabile, nihil astutum; casta, verecunda, virgo incorrupta quodam modo. Itaque sermo potius quam oratio dicitur, cum ad cotidianum loquendi genus propius accedat.

## CLXXXII.

Esse perfecte eloquentis puto, non eam solum facultatem habere, quae sit eius propria, fuse lateque dicendi, sed etiam vicinam eius atque finitimam dialecticorum scientiam adsumere. Quamquam aliud videtur oratio esse, aliud disputatio, nec idem loqui quod dicere; attamen utrumque in disserendo est. Zeno quidem ille, a quo disciplina Stoicorum est, manu demonstrare solebat, quid inter has artes interesset; nam, cum compresserat digitos pugnumque fecerat, dialecticam aiebat eiusmodi esse; cum autem diduxerat et manum dilataverat, palmae illius similem eloquentiam esse dicebat. Atque ante hunc Aristoteles principio Artis Rhetoricae dicit, illam artem quasi ex altera parte respondere dialecticae: ut hoc videlicet differant inter se, quod haec ratio dicendi latior sit, illa loquendi contractior. Ergo eum censeo qui eloquentiae laude ducatur, non esse earum rerum quae ad dicendum trahi possint, omnino rudem; scire qua ratione verum falsumne sit, iudicetur, quid ecficiatur e quoque, quid cuique consequens sit, quidve contrarium; cumque ambigua multa dicantur, quomodo quidque eorum dividi,

explanarique oporteat. Haec tenenda sunt oratori; saepe enim obcurrunt. Sed quia sua sponte squalidiora sunt, adhibendus erit in his explicandis quidam orationis nitor.

## CLXXXIII.

Ad dicendi facultatem adipiscendam, caput est, quod, ut vere dicam, haud multi faciunt (est enim magni laboris, quem plerique fugimus), quàm plurimum scribere. Stilus optimus est et praestantissimus dicendi ecfector ac magister: nam si subitam et fortuitam orationem conmentatio et cogitatio facile vincit, hanc ipsam profecto adsidua ac diligens scriptura superabit. Omnes enim loci anquirentibus nobis omnique acie ingenii contemplantibus ostendunt se et obcurrunt; omnesque sententiae verbaque omnia, quae sunt maxime inlustria, sub acumen stili subeant et subcedant necesse est; tum ipsa conlocatio verborum perficitur in scribendo oratorio quodam numero et modo. Haec sunt, quae clamores et admirationes in bonis oratoribus ecficiunt; neque ea quisquam, nisi diu multumque scriptitarit, etiamsi vehementissime se in his subitis dictionibus exercuerit, consequetur. Et qui a scribendi consuetudine ad dicendum venit, hanc adfert facultatem, ut, etiam subito si dicat, tamen illa quae dicantur, similia scriptorum esse videantur; atque etiam, si quando in dicendo scriptum adtulerit aliquid, cum ab eo discesserit, reliqua similis oratio consequetur. Ut concitato navigio, cum remiges inhibuerunt, retinet tamen ipsa navis motum et cursum suum intermisso impetu pulsuque remorum, sic in oratione perpetua, cum scripta deficiunt, parem tamen obtinet oratio reliqua cursum, scriptorum similitudine et vi concitata.

## CLXXXIV.

Numquam satis commendari poterit rerum gestarum cognitio, maxime scilicet nostrae civitatis. Quid enim est aetas hominis, nisi ea memoria rerum gestarum cum superioribus contexitur? Historia testis est temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae. Verum ut historia munere suo fungatur, a hominibus veri amantissimis ac religiosissimis scribi debet. Prima autem scriptoris lex est ne quid falsi dicere audeat, ne quid veri non audeat, ne quam suspicionem gratiae adferat in scribendo, ne quam simultatis. Sit praeterea diligentissimus in rebus eligendis ac exponendis, in temporum notatione, in regionum descriptione. Et quoniam in rebus magnis memoriaque dignis, consilia primum, deinde acta, postea eventus exspectantur, debet etiam et de consiliis significare scriptor quid probet, et in rebus gestis declarare non solum quid actum aut dictum sit, sed etiam quo modo; et cum de eventu dicat, causas explicare vel casus vel sapientiae vel temeritatis. Neque solum res gestas, sed etiam hominum ipsorum, qui fama ac nomine excellant, de cuiusque vita atque natura describat. Verborum autem ratio et genus orationis, fusum atque tractum sine asperitate ac sine ullis salebris persequendum est.

## CLXXXV.

Adsentior Platoni, qui nihil tam facile in animos teneros atque molles dicit influere quam varios canendi sonos, quorum magna vis est in utramque partem. Namque

et incitant languentes et languefaciunt excitatos, et tum remittunt animos, tum contrahunt. Quo factum est ut in multis in Graecia civitatibus mores pariter sint immutati cum cantibus. Quam ob rem ille quidem sapientissimus Graeciae vir longeque doctissimus videtur valde huius artis conruptionem vereri: negat enim mutari posse musicas leges sine mutatione legum publicarum. Nimirum et in hoc gravis exstitit vindex morum ac disciplinae vetus illa Graecia, longe providens conruptionem inlapsam in civium animos malis studiis malisque doctrinis totam civitatem eversuram; siquidem illa severa Lacaedemo quatuor nervos incidi iussit, quos Timotheus Milesius, musicus idemque dithyramborum auctor, septem suis fidibus addidisset.